SIMONIS STAROVOLSCI.

LAVDATIO ALMÆ ACADEMIÆ Cracouiensis.



CRACOVIÆ

In Officina Christophori Schedelij S. R. M. Typog: Anno Domini. M.DC. XXXIX.

Vt aromata tangentibus, ſemper aliquis adhæreſcit odor: Sic bonos ac eruditos frequentantibus, aura aliqua virtutis ac doctrinæ.

Ioannes Bernartius. lib. I. de vtilitate legendæ Hiſtoriæ.

Perillustri & Admodum R̃ndo Domino,

D. IOANNI ROMISZOWSKI.

Præposito Infulato,

LASCENSI.

SCHOLASTICO CRACOVIENSI,

S. R. M. SECRETARIO.

Dn̄o & Fautori Obseruandissimo.

QVanta Rebuspub. vtilitas ex Academiarū fundatione proueniat, Perillustris & Admodum Rn̄de Domine, non est vt hîc pluribus explicem; cùm ad oculum vnicuique manifestū sit, vel ex vnica Vniuersitate Cracouiensi, tot viros eruditos prouenire, vt nulla omninò Regni Poloniæ pars sit, nullus hominum status, nulla conditio, in qua non reperiantur quique præcipui, vel literis in ea exculti, vel laurea aliqua condecorati. Omissis igitur rationibus, quas partim Simon Maricius Pilsnensis, in Opusculo de Academijs, in laudes earum adducit: partim Andreas Fricius Modreui-

us

us in libro de Schola, vtilitates illius demonſtrans adducit, rudi Minerua conceptum à me ſermonem de laudibus Gymnaſij Cracouienſis, vt virtute, pietate, atque doctrina præcellat, non alij dicare volui, quàm tibi Perilluſtris & Admodum Rñde Domine, qui ibidem melioribus artibus atque moribus expolitus, honeſtiſſimarum actionum commendatione, quà publicè, quà priuatim præfulges; & virtutibus tuis Eccleſiaſticum Ordinem ita vbique exornas, vt omnium apprecationibus & votis, dignus maioribus Infulis cenſeare. Nec abs re ſanè. Ea ſiquidem vera eſt ac ſolida vtilitas, quam honeſtarum commendat ſplendor actionum, quæ nec temporum iniuria labefactari, nec hominũ incommodatione percelli, nec inopinati alicuius caſus interuentu debilitari, aut comminui poteſt, vt omnes probi atque boni, cupiant eum in ſummo dignitatis faſtigio collocatum videre, & ab eo actionum quoque ſuarum exemplar & normam perfectiſſimam habere. Iam verò illa tanta ſeduli-

dulitas tua in attendendis iudicijs Tribunalis Regni, in queîs toties iam, nomine Venerabilis Collegij Canonicorum Cracouiensium præsidere voluisti, nobis denotare videtur? quid studium illud ardentissimum, conseruandæ disciplinæ Ecclesiasticæ, quã perpetuò immutabilem fieri desideras? quid conatus illi assidui, exornandæ Ecclesiæ tuæ Lascensis, quà marmoribus, quà suppellectili pretiosa, quà picturis exquisitis? nisi vt altiore loco constitutus, patria iudicia ac leges in suo vigore; Canonum præscripta atque Conciliorum in suo tenore; Mystarum, templorum, sacrorumq; venerationem in antiquo suo flore conserues; bonas artes propages; ingenia excites; Patriamq; demum vniuersam pro tuo posse exornes; gnarus, ea negligere quæ ad ciues felices efficiendos pertinent, non modò stultum & ignominiosum, verùm etiam impium & sceleratum ab omnibns iudicari. Ergo vt bonis auibus cœpisti Perillustris & Admodum Rñde Domine, Præceptorum tuorum Academicorum Cracouiensium, vel monitu

vel exemplo, Virtutem ſeriò ama, Pietatem cole, Doctrinam exerce, ſi verè bonus, & omnium iudicio Magnus dici exoptas, & viros eruditos ſolitâ humanitate tuâ atque beneuolentia proſequere. Et ſimul Reipub. Eccleſiæ, Amicis, diu incolumis viue, & Vale. Cracouiæ, Anno. M.DC. XXXIX. Men: Augu: Die 14.

Simonis Starovolsci.

LAVDATIO
Almæ Vniuerſitatis Cracouienſis.
Ex Virtvte, Pietate, Et Doctrina.

OMnis communitas ex pluribus vicinijs perfecta, omniſq; cœtus hominum certo iure ſociatus. A. N. eum finem propoſitum habere debet, vt ciuibus omnibus benè beateq;, hoc eſt, vt Cicero interpretatur, honeſtè & rectè viuere liceat: vt ſcilicet ſub legũ cuſtodibus, & ſapiẽtiſsimis Præſidibus vniuerſitatis, dignitate ac commodis cuncti augeantur; vt pacatã ac tranquillam vitam ſub prudenti gubernatore omnes degant; vt quiſque ſecurè ſuum tueri ac tenere poſsit; vt ab iniurijs & cædibus nemo non ſit quam tutiſsimus. Hoc autem totum, nullo penitus modo, communitates hominum aſſequi poſſunt, niſi quam plurimi ex eis virtute, religione, atque doctrina præcellant; & iuſtitiæ atque moderationis amorem, paupertatis ac parſimoniæ cultum, luxuriæ atque auaritiæ odium, diuitiarum & opulentiæ contemptum, & quod ad aſſequendum perfectam felicitatem maximè ſpectat, veram veri Numinis religionem & cultum, cum maxima ſua laude & vtilitate, ac propè incredibili omnium cæterorum

admiratione profiteantur. Ita, vt ſi in dignitate aliqua Reipub. poſiti fuerint, magiſtratus eorum amore ſincero erga patriam excitatus, ex traditione legum ſanctiſsima, & ex beneuolentia, ſeu conſeruandæ amicitiæ modo, etiam ad poſteros commendetur. Sin autem priuatam ob iniquitatem fortunæ, vt ſæpiùs accidere ſolet, degant iucundè vitam, omni data occaſione, exempla virtutis vberrima conciuibus ſuis ſubminiſtrent: tum fortitudinis, ad mortem pro Rep. oppetendam; tum prudentiæ, ad perniciem præcauendam; tum induſtriæ, ad vim propulſandam; tum cæterarum omnium virtutum, ad honeſtè laudabiliterq; viuendum. Et quia multa ac planè infinita ſunt, in qualibet ſocietate ciuili negotia, quibus eiuſmodi viri excellentes, neceſſario occupant animos ſuos, dum vel ad clauum Reip. ponuntur, vel rei domeſticæ curis diſtrahuntur, nec ſufficiunt ad laborem, vt & factis illuſtribus, & ſaluberrimis præceptis poſsint aſsiduè iuniores informare in ijs, quæ viris deinceps profutura eſſent: Eapropter publicis ſtipendijs, qui politiores ſunt, ſingulares ad hoc munus viros, in virtute & doctrina probè inſtitutos, alere conſueuerunt, qui curandæ prauæ iuuenum inclinationi aptiſsimum à teneris remedium adferrent, eosq; ſeria ac ſeuera diſciplina ad virtutem informarent: loca illa, in quibus adoleſcentes eiuſmodi ſtudio addicti, eſſent exercitandi, Academias, Lycœa, Gymnaſia, Scholas, Palęſtras, Collegia, & Vniuerſitates, pro rei ratione & ſignificatione verbi, appellando. Vt vt placet vulgo appellare, benè eſt / modo iuuentus ad virtutem diligentiſsimè erudiatur. Siquidem nullo modo fieri poteſt, vt ætas matura ſit laudabilis, quæ fundamentis adoleſcentiæ parum rectè ſit conſtituta. Iam autem nihil animis hominum magis adhæret, quàm id cui à teneris conſueſcunt: nullumq; aptius remedium dari poteſt curandæ prauæ filiorum inclinationi, quàm ſi à cunabulis ſtatim ſeuera educentur diſciplina. Nam quemadmodum arbores dum teneræ ſunt, vt rectæ ſurgant,

palis

palis alligantur; equi, vt frœnum pati aſſueſcant, dum pulli ſunt frænantur; aues, vt tanto citius cicures euadant, nido detrahuntur; animantes dum teneræ ſunt, capiuntur, vt ſeruire vſibus hominum diſcant: ad eundem modum ab incunabulis pueri benè viuendi artem docendi ſunt, vt tàm familijs ſuis, ſibiq; metipſis, quàm ſocietati hominum vniuerſæ aliquando vſui eſſe poſsint. Hanc igitur inſtitutionis curam, cum omnes alij politiores populi, non modo quibus verus Dei cultus, verusq; virtutis amor cordi eſt, ſed quibus etiam Chriſtiana Religio odio eſt, pro genio ſuo diligentiſsime habent; tum eorum imitatione noſtra quoque Sarmatica gens, poſtquam luce Euangelica ſub Miecislao Principe illuſtrata eſſet, etiam ſub Iagellone Rege lumen omnium ſciêntiarum excepit; erectaq; in vrbe Metropoli nobiliſsima Academia, hoc vnicum egit, vt eximia adoleſcentum indoles, non iaceat medio, vt quidam Poëta inquit, obruta cœno; ſed maximo ſudore expolita, diſcat cæterorum populorum exemplo, arduum laudis adniti; mori pro Catholica Religione; exponere vitam periculis pro patria; leges & iura iuſtè ſapienterq; interpretari; ſumma æquitate iudicia tranſigere; in diſceptandis fori cauſis, fidem, integritatem, moderationem in conſilio adhibere; in obeundis Reip. negotijs, inuidiam, metum, libidinem, amouere; inter ciues concordiam alere; in rebus turbidis conſtantiam & animi robur ſeruare; conſcientiamq; mentis, quam à Deo accepimus, maximi ſemper æſtimare. Atque hunc in vſum, cùm alia plurima per Regni prouincias ſparſa, priuata & publica Gymnaſia habet, tùm Almam Vniuerſitatem Cracouienſem, veluti matrem cæterarum Academiarum, & matricem omnium ſcientiarum, ſummâ beneuolentia complectitur. Vtq; olim oculus Græciæ fuerant Athenæ, ſic Cracouia apud nos, totius Septemtrionis ſydus eſſe cenſetur: quòd nullibi hactenus in toto Sarmatico Imperio, ingeniorum felicior prouentus, nullibi doctrinæ vberior ſeges, reperiatur; ex qua ingens

ſemper in Eccleſiam & Rempub. vniuerſam fructus redundauit, & verò etiam in poſterum perpetuò redundabit. Quapropter de hac Schola, quæ tanquam equus quidam Troianus, tot iam Heroas ſacros dedit & profanos, qui Patriæ ſalutem propria ſalute procurarunt, & Regum Poloniæ dignitatem ſuis conſilijs ſuſtinuerunt, ad maiorem ſtudioſorum adoleſcentum informationem, & æmulationem virtutis, breuiter nonnulla particularia ex Antiquitate eruta proferam; oſtendamq; luculenter, quòd vt maiorum noſtrorum ætatibus, vix in aliqua Reipub. parte, nominis alicuius & doctrinæ vir quiſpiam vixit, qui huius Academiæ diſcipulus non fuerit; ita hodiedum nullum ferè Eccleſiaſticæ aut Politicæ dignitatis eſſe Ordinem vel gradum, in quo non reperiantur, qui in Alma hac Vniuerſitate diſciplinis exculti non fuerint; vel alibi leuiter triuialibus artibus tincti, hîc ſuam perfectionem non acceperint. Vos qui veram virtutem & ſolidam eruditionem, aut verius Patriam ipſam, quæ hiſce duabus rebus & floret, & conſeruatur, ſeriò amatis A. N. patienter rogo audite me.

Quod olim Romæ ſolenne fuit, vt quo die Reipub: gubernacula ſuſcipiebant Imperatores, eos S. P. Q. R. crebris acclamationibus, magnoq; ambitu, in Antoninorum nomen adoptabant; vt præclaro illo nomine & boni Principes ad virtutem impellerentur, & mali à flagitiorum dedecore auocarentur: hoc genti noſtræ Sarmaticæ diuinitùs quodammodo inditum eſt, vt in noui Regis electione religioſam quandam habeant rationem nominis atque ſanguinis Iagellonici, quamuis iam per indirectum deriuati: quod nimirum ſub illo Rege maxima acceperit Patria noſtra incrementa, virtutis, gloriæ, Religionis, pietatis, ſcientiarum, pomœriorum Imperij, atq; laudis militaris. Etenim quod maximè mirandum eſt, prædictus Princeps tanta præſtitit nobis, Reipq; noſtræ commoda, quamuis extiterit ipſe ad virilem vſque ætatem, barbarus, rudis, & idololatra; vt ea

ventu-

ventura omnis posteritas meritò debeat suspicere atq; venerari. Accepto namq; cum diademate Regni cœlestis gratiæ dono, qui prius gentilis erat, & fidei Christianæ osor; factus est post lauacrum baptizmatis gentis suæ Lituanicæ & Samogiticæ repentè Apostolus. Qui olim rapto & præda ex vicinis viuere solitus erat; postea prudentissimus Legislator, iustissimusq; pacis ac fœderum cultor fuit. Ante impotens Tyrannus & grauis ob auaritiam Despota; deinceps bonorum ingeniorum cultor, libertatis promotor, maximusq; virtutum mirator & liberalissimus remunerator. Denique literarum omnino expers, & ignarus Ecclesiasticarum rerum; attamen literatorum piorumq; virorum beneficentissimus Patronus, Nobilissimæq; Academiæ Cracouiensis, & tot Episcopatuum, Præbendarum, Seminariorum, Monasteriorumq; fundator. Quod sanè diuino quodam nutu & benignitate factum est vt nomen Populi Poloni per hunc Principē fieret gloriosum. Gloria enim cuiusque boni Principis est, pax populi, tutamen patriæ, vigor Religionis, libertas plebis, disciplina subditorum: sine quibus equidem rebus neque domus alicuius priuata, neque ciuitas, neque exercitus, neque commercium vllum consistere potest: imo, hisce sublatis, ne mundus ipse subsisteret. Adeo hæc præsidia vbique necessaria ! adeo bonis Regibus & Imperijs vtilia ! Proinde sicut nauclero cursus secundus, medico salus, Imperatori victoria: sic Reipub. moderatori beata ciuium vita proposita esse debet, vt ingenio culta, religione sancta, iustitia tranquilla, opibus firma, copijs locuples, gloria ampla, ac omni genere aliarum virtutum honesta sit, & illustris. A qua salubri intentione, cum minimè recederet ipse Rex sapientissimus IAGELLO, tum tota illius soboles inclyta minimè recedendum sibi esse censuit, quamuis stirpe virili deficiente, in aliorum Regum familias per matrimonia fuisset iam diffusa. Vt merito id, de Iagellonia prosapia dicere possumus, quòd olim apud Ciceronem, Q. maximus de

Scipione Africano dixiſſe traditur, cum ſupremo die eum laudaret. *Gratias*, inquiens, *agere ſe Dijs immortalibus, quod ille vir in Romana Repub. potiſſimum natus eſſet: Neceſſe enim fuiſſe, ibi eſſe terrarum Imperium, vbi ille eſſet.* Ita & nos Sarmatas, immortales Numini Æterno gratias debere, quod ille beneficentiſsimus Princeps, publico Septemtrionis bono natus, Polonicis ſceptris manus ſuas admouiſſet: neceſſe enim alias fuit, in illa Arctoi Orbis parte, & ingeniorum culturam, & militaris fortitudinis gloriam viguiſſe, vbi ille regnaſſet. Cum etenim tribus potiſsimum artibus conſeruetur quodlibet Imperium aut ciuitas, Oeconomicarum rerum diligentia, Militari diſciplina, & Studio literarum, ſine quibus veluti corpus humanum abſque conſeruatiuis potentijs, non modò creſcere aut augeri, ſed ne conſeruari quidem aut vitalem ſpiritum trahere poſſe videmus. Nam ſicut in homine tres ſunt potentiæ vitæ illius conſeruatiuæ; Iecur videlicet, in quo reſidet facultas naturalis ad quam ſpectat omnis nutritio; Cor, in quo facultas vitalis & iraſcibilis; denique Cerebrum, in quo mens & tota cognitio: ita & in qualibet communitate ſeu Repub. tres ſunt artes præcipuæ ipſam conſeruantes; Agricultura videlicet, quæ reſpondet naturali, quia alimenta ſuppeditat toti communitati hominum in Imperio aliquo contentorum; Bellica deinde ſcientia, iraſcibili potentiæ, quia repellit ſi quid inferatur violentiæ aut impedimenti, tàm à vicinis, quàm ab extraneis populis; Et literarium ſtudium denique, quod cognitionis facultati reſpondet, & ſpectat ad intelligentiam, per quam omnibus innaſcitur honeſti cupiditas, gloriæ ſtimulus, & publicæ vtilitatis deſiderium. Et ſi vnico verbo dicere volumus; literæ pacem dirigunt, literæ bellum dirimunt, literæ vitia virtuteſq; premunt aut excitant, literæ teſtes ſunt temporum, literæ vt vult Tullius, arbitræ meritorum. Vidit hoc accuratè & conſiderauit diligenter Maximus REGVM IAGELLO, & ſapienti iudicio cuncta in patria noſtra diſponens,

nens, ad bonum ciuium vniuerſale; & Agricolis ſecuritatem reſtituit, ſeuera animaduerſione, in raptores bonorum alienorum, per leges ſcriptas inſtituta; & vicinarum gentium audaciam compeſcuit, obtentis facilè per caſtrenſem diſciplinam, ex eis toto Orbe clariſsimis victorijs; & veterem denique Sarmatarum barbariem excuſsit, introductis in Poloniam, è Pragenſi atque Pariſienſi Schola, doctiſsimis variarum Scientiarum Profeſſoribus. Quibus, cum alias inferiores quaſuis artes & diſciplinas legendi, facultatem à Bonifacio. IX. impetrauit, tum ſacram quoque Theologiam, ab Vrbano. V. ante denegatam, publicè è ſuggeſto profitendi. Illam nempè ſcientiam, quæ cùm omnes ſanè mortales, tùm maximè prodigos ſuæ ſalutis Septentrionales, ad ingrediendum religioſæ pietatis iter hortatur; quæ ſub frigido noſtro axe pietate ardentes, ad perſequendum arduæ virtutis curriculum incitat; quæ ſegnes Catholicos increpat; quæ perfidos ſectarios reducit ad cognitionem veritatis; quæ fluctuantes in fide Orthodoxa confirmat; quæ deficientes in via pietatis erigit; quæ omnes denique Chriſti Liberatoris cultores, ad vrgendum pulcherrimi operis conatum accendit. Nihil pro ſe, vt aliæ facultates, ſed pro honore Numinis, publicisq; fidelium commodis laborat. Quod exactius perpendentes Summi Eccleſiæ Paſtores, Martinus. V. & Ioannes poſtmodum. XXIII. comprobarunt bonum factum Bonifacij; exaugentesq; literarium decus ſub Polo noſtro, præcipuos è Clero Polonico Prælatos, Abbatem Claræ tumbæ, Vratiſlauienſemq; Gneſnenſem, atque Cracouienſem, Decanos, Academiæ noſtræ Defenſores ſeu Conſeruatores inſtituerunt. Cancellarium verò, & promouendorum Examinatorem, Epiſcopum Cracouienſem: Sede verò vacante Officialem eius ſeu Vicarium Generalem, prædictus Vrbanus V. vrbaniſsimè ordinauit. Omnes denique in vniuerſum Academiæ immunitates, maximus literarum promotor, Leo X. confirmauit, & à ſæculari

Iurisdictione quauis maximâ suo præscripto exemit, in prætorijs eos sisti, qui sapientiæ operantur, nefas esse existimans. Quod ipsum, Friderici Imperatoris (in Cod. Cap. 4.) imitatione Diuus quoque IAGELLO diplomate suo sufficientissimè complexus est, Anno redditæ Salutis. 1401. & causam statim ibidem apposuit. *Schola*, inquit, *erigitur, vt viros producat consilij maturitate conspicuos, virtutum ornatibus redimitos, & variæ facultatis doctrinis eruditos. Videmus equidem, & certocertius experimur, qualiter Parisiorum Vrbs per conuocationem & congregationem peritorum & prudentum Franciam irradiat, Patauium cum Bononia, totam Italiam clarificat. Praga Bohemiam illuminat, Almaniam Vxonia illustrat.* Quas itaque ad emolumentum omnium subditorum suorum, & ornamentum Regalis domus, Musarum sedes Rex sapientissimus erexerat, eas diuum genus deinceps sui successores de sanguine, miranda beneficentia liberalissime exornarunt. Atque imprimis Cazimirus eius F. Canonicatus S. Floriani Academiæ donauit, Anno verbi Incarnati 1456. Huius deinde F. Alexander Canonicatum Præmisliensem adiunxit Anno. 1497. Tandem frater ipsius Sigimundus I. auitæ donationis renouationem transumens, omnia atque singula à prædecessoribus suis concessa, matura deliberatione, in Comitijs Regni 1539. rata esse iussit, approbauit, confirmauit, & quasuis in Orbe Christiano dari suetas Vniuersitatibus libertates, clementissime concessit. Nec vllam Augustus eius F. prærogatiuam à patre concessam, Patris solium conscendens, imminutam esse voluit; quinimò testandi boni animi sui causa, secundum Canonicatum Premisliensem adscripsit. 1559. Cui Stephanus Bathoreus succedens, viciniores aliquot Præbendas, atque S. Floriani Præposituram annexuit. SIGISMVNDVS III. Sanctionibus suis immunitates comprobauit. Vindex demum libertatis VLADISLAVS. IV. eius F. qui nunc feliciter nobis imperat, atque vtinam vel de annis nostris temporum anno-

ſitatem aſtruens ſibi, quàm diutiſsime nobis regnet, importunos operarios ſuſtulit, cenſum pro exſtruendis inferioribus claſsibus impendit, & cultiores literas quæ vaſtitatem quandam minabantur erexit, priſtinoq; vigori reſtituit. Piorum autem Regum munificentiam æmulatus olim pijſsimus ipſe Epiſcopus Cracouienſis Petr9 Wiſz, quinque beneficia Eccleſiaſtica eidem Vniuerſitati incorporauit; duos nimirum Canonicatus S. Staniſlai in arce Cracouienſi, Theologo Seniori vnum, & Iuriſconſulto alterum. Eccleſiam S. Mariæ Magdalenæ. S. Alberti in Circulo Crac. & Parochiam Luborzicenſem. Idq; annuentibus ſupra nominatis Pontificibus Romanis, Ioanne. XXIII. & Martino. V. Fecerat autem & pro pauperum ſtudioſorum commoditate, ſat amplum & grande Contubernium, ille idem Mecœnas munificentiſsimus Diuus IAGELLO. 1409. reparatæ Salutis Anno, ſed quod noſtra iam ætate in ruinam pronum inſtaurari curauit, amantiſsimus literarum Antiſtes, Petrus Tylicius, qui ſtatim & Oratorem publicum exercendæ iuuentutis cauſa fundauit. Pro nobilium autem adoleſcentum vſu, Contubernium vulgo Hieroſolymitanum dictum, Anno 1456. inſigni liberalitate exſtruxerat, Sbignæus Oleſnicius S. Priſcæ Cardinalis. Quod ſimiliter edacitate temporis conſũptum & ad ruinã vergens, refecit nunc Illuſtriſsimus Antiſtes IACOBVS ZADZIK, & rarâ hac ætate munificentiâ vſus erga ſtudioſam iuuentutem, quod ibidem ipſe aliquando habitaſſet, nouam popularibus ſuis Dynaſtiæ Siradienſis fundationem addidit. Burſam Philoſophorum, ſeu Maſouitarum Collegium Andreas Noſcouius Epiſcopus Plocenſis A. 1558. erexit: auxitq; illam deinceps, optimorum Virorum pietas atque liberalitas notabilis. Ex oppoſito verò domus Iuriſperitorum, pro ſtudioſorum eius facultatis commoditate, à Ioanne Dlugoſsio Cuſtode Viſlicienſi & Canonico Crac: 1480. Contubernium inſtitutum, auxerunt ſucceſsiuè, dotaruntq; haud parca manu, diuerſi Iuris Anteceſſores: ſed ma-

ximè noſtris temporibus, optimi Sacerdotum Io. Vladiſlawſki Canonicus Varſouienſis, & Io. Garwaſki Canon. Crac: Claſſes triuiales ſeu Minorum artium Scholas priuatas, maximè ſuo demenſo ditauit, ſtrenuiſsimus bellator Bartholomæus Nouoduorſcius Eques Melitenſis, literarum ipſe planè rudis, & Latinitatis ignarus. Seminarium verò Clericorum Caſtrenſe Georgius Radiuillus, atque Bernardus Macieiouius, Cardinales, quod poſtmodum Venerabile Capitulum, ſubſequenteſq; Epiſcopi, haud ſpernendis ſubſidijs auxerunt. Quinimo etiam nuper, ſancta æmulatione concitatus, doctiſsimus Vir Io. Zizinius Canonicus Vladiſlauienſis, ſimile Clericorum Seminarium ſtatim penes Academiam in vrbe exſtruxit, & ſufficientiſsimè prouidit; vtq; ipſe multum religioſus, ac in omni ferè facultate promptus fuerat, ſic & alumnos ſuos tam in pietate, quàm in diuerſis artibus exercere iuſsit, vt cuiuſque genius ferret. Atque ita ex duobus hiſce locis, tanquam ex ſacro quodam puluere, doctiſsimi & probatiſsimi in omnes Poloniæ partes, animarum Curatores prodeunt. Cæterum hac noſtra tempeſtate, cum maximè ſua libertate periclitaretur Academia, maximè creuerunt & Profeſſorum ſtipendia, & pauperum ſtudioſorum Eleemoſynæ, paſsim vndique prouidentibus & tenuitati illorum & indigentiæ iſtorum, ex omnibus Regni Prouincijs viris ſingularibus, publicum bonum amantibus. Sed & ſuperiore ætate, congregati ſub Petro Gamrato Gneſnenſi Metropolitano, totius Poloniæ Præſules, ad Synodum Petricouienſem, conſtituerant cenſum pro rata portione ſingulis annis Vniuerſitati Crac. contribuendum, tàm Epiſcopi, quàm Abbates, quod iam fortaſſe nunc in deſuetudinem abijt, ferreis temporibus indies ſuccedentibus. Satis eſt, quod ſuam beneuolentiã Almæ ſuæ altrici, publica ſanctione declarauerint, monſtrauerintq; vniuerſæ Reipublicæ & poſteritati, haud inutiliter Academicos viros conſumere fruges. Et alibi fortaſſe Profeſsoribus opes affluentiores, ſtudioſo-

diosorum gratitudo notabilior, fama ex laboribus maior, facilior pro meritis ad honores accessus; hîc longè plura pietatis & sanctimoniæ exempla, diligentior modestiæ & humilitatis obseruatio, tenacior disciplina, lætior paupertas, conspectior in erudienda iuuentute labor, vberior virtutum atque eruditionis fructus, auctior vbique gloria, & vt absque inuidia dicam, solam Cracouiam exteri qui peregrè ad nos veniunt, elegantiæ sedem appellant, litterarum domicilium, Museum Orbis Sarmatici, eruditionis emporium, Musarum atque Gratiarum omnium augustissimum quoddam Sacrarium; imprimis autem Pietatis nidum, atque Larem virtutum. Quod enim alibi per Regni Prouincias, in Ecclesiasticis tantus virtutis splendor eluceat, quod accurata morum vbique disciplina cernatur, quod in Equestri pariter ac Senatorio Ordine tot viri conspicui reperiantur, hoc totum acceptum ferre huic Scholæ Sarmatia nostra debet, quia ab ea tot eximios animarum curatores, tot inuictos hæreticorum oppugnatores, tot conseruatores legum, libertatis, consuetudinum, tot seueros morum censores, totq; demum fortissimos patriæ propugnatores accepit. Sed nolo persequi omnia Almæ huius Academiæ merita, cum mereri amplius quotidie non desinat, & famam non sine inuidia lacessat, habens Prælectores omni iudicio doctissimos: hoc tantùm vnicum addam, quòd qui eruditione hîc excelluerunt, omnes ferè vitæ etiam integritate simul claruerunt; quæ in probitate syncera, religione non simulata, candore niueo, humilitate profunda, labore improbo, & perpetua grati animi significatione consistit. Multi siquidem alij Gymnasiorum Magistri, magnitudine redituum aut beneficiorum elati, quæ à nimia Patronorum bonitate percipiunt, non solùm erga inferiores exercent superbiam, quod turpissimum habetur, verum etiam contra ipsos authores beneficij non verentur insolescere, quantum in se est tollentes omnem omnino gratitudinem, quæ vsquam est inter homi-

nes; & corrupti inopinata felicitate, abutuntur ea contra illos, per quos eam adepti sunt. Exempla recensere odiosum, nec etiam licet. Academiæ verò Cracouiensis Professores, quia Doctrinæ fundamentum vnicam ponunt Pietatem, timentq; pro modo ingratitudinis, vt fas est, aduersus accepta in hoc mundo beneficia, pænarum in inferno persoluendarum asperitatem; ideo quater in annum sacra pro Academiæ benefactoribus solemni ritu peragunt, & in ijs, inter preces publicas, Pontificum, Regum, Dynastarum, ac aliorum omnium de Academia beneficio singulari optimè meritorum nomina, à perorante Professore recitari iubent: vt sacro hoc officio, gratum illis animum aßiduè rependant, & eorum memoriam, nusquam apud se interituram testentur. Etsi enim vnumquemque dedecet ingrati animi vitio laborare, illos tamen multò magis, qui virtutem & bonarum artium studia profitentur.

Profitentur autem in Academia Cracouiensi viri numero quadraginta ordinariè, in Collegijs alij, alij extra Collegia habitantes: Qui in Collegijs sunt, trifariam diuisi mensam communem habent; hi qui Regij Professores appellantur & vt plurimum Theologi sunt, in Maiori Collegio manent, penes se Archiuum Academicum, Bibliothecam, & Conuocationum, Electionisq; Rectoris locum retinentes. In Minori Collegio soli Artistæ degunt. In Collegio verò Iurisperitorum, Legistæ atque Canonistæ. Medici omnes extra Collegium sparsi per vrbem habitant, diuersiq; alij Magistri, qui in commißis sibi Ecclesiæ & Academiæ partibus, egregiè quà virtute, qua doctrina spartam suam exornant, & vel in claßibus Triuialibus, vel in Parochialibus Scholis instituunt iuuentutem, atque metipsos ad altiores scientias, qua prælegendo ex cathedra, qua disputando publice, efficiunt aptiores. Singulæ siquidem facultates, à prima Academiæ institutione, certis legibus suos regunt, & studium magna sedulitate sub proprijs Decanis dirigunt, sæpiusq; de

graui

graui aliqua materia (post longum & diligens examen) in disputationis arena respondent, qui ad lauream consequendam aspirant. Neque enim hîc ad Doctoralem dignitatem, ita facilè vt alibi quispiam euehitur, nisi acrimoniâ ingenij, indefeßâ laboris constantiâ, doctrinæ præcellentiâ commendatus; vt nimirum Academiæ honori, Præceptoribus decori, Reipub. & Ecclesiæ Dei vsui sit. Hinc, in exteris nationibus promotus, haud quaquam locum inter Professores habere quispiam poterit, nisi prius in publica disputatione decertando, specimen ingenij sui egregiè declarauerit, annuente Magnifico Rectore, seu Amplißimo Cancellario Academiæ, qui est Episcopus Cracouiensis atq; vnà Dux Seueriensis. Et Rectoris quidem honor semestris est, Cancellarij verò perpetuus. Huius dignitas, qua Episcopi, qua Ducis, qua Senatoris Regni primarij omninò magna est. Illius præclara non minus à iurisdictione ampla, quàm ab auctoritate ei ab extrinseco accedente. Quoties enim ad publicos actus procedit, totus eum Senatus Academicus, togis suis exornatus concomitatur, sceptraq; ante eum à Bedellis (quos Accensos Latinè vocamus) duo præferuntur, sequunturq; deinceps à tergo Professorum, omnes alij omnium Facultatum Doctores ac Magistri, qui extra Collegia manent.

Quod ad studium attinet, nunquam aut Lycæi, aut Stoæ certè olim tanta celebritas fuit, quanta Artium in Academia Cracouiensi est, si omnes in vniuersum Facultates considerers. Hîc Philosophia vigorem, hîc Eloquentia puritatem, hîc Mathesis florem suum, si vllibi terrarum habent. Non ad ostentationem sapiunt Theologi, non ad pompam Canonistæ; non nebulas ex Pandectis aut ventum captant Legistæ. Æsculapios quoque nemo hîc vnquam desiderauit. Siquidem in veræ ac germanæ Doctrinæ fundo omnes occupati, hanc arant, & hoc metunt. nihil in eo non à se discussum relinquunt; abdita Sapientiæ rimantur. Neque ad exa-

men pro aſſequenda laurea Magiſtrali, quiſpiam ab ingeniorum Cenſoribus admittitur, niſi qui de auditis Artis ſeu Scientiæ alicuius lectionibus, Profeſſorum teſtimonio fidem fecerit, ne ſcilicet ſolis parietibus, aut pueris tantummodò ſuis Doctores prælegere videantur. Sunt autem in Sacra Theologiæ facultate, quatuordecim ordinarij Profeſſores: totidem in Philoſophia: Octo in Iure: Quatuor in Medicina. Reliqui Medicinæ Doctores, qui publicè nihil prælegunt, & tamen loca inter Profeſſores promeruerunt, nullo penitus ab Vniuerſitate onere obſtringuntur, niſi quòd in Candidatorum examine operam ſuam conferunt, & publicis actibus interſunt. Et verò Facultatis huius dignitatem iam ab ipſis Academiæ initijs viri ſummâ eruditionis præſtantiâ ita ſuſtinuerunt, & hodie etiam ſuſtinent vt cum nomine ſuo Academiæ famam latè extenderint, ab externis quoque Principibus deſiderati, & quandoque euocati. vti Ioſephus Struthius Poſnanienſis, qui cum omni ferè doctrina liberali imbutus eſſet, tum in Mathematicis diſciplinis primas ſua ætate tulit, dum in Patauino Gymnaſio Medicinam maximâ cum laude profiteretur, & ab Hiſpaniarum Rege PHILIPPO. II. toties conſultus, toties in Iberiam propoſitis ſtipendijs euocaretur. Ibidem in cathedra floruit *Iacobus Cracouienſis*, Mathematicus & Medicus inſignis, ac multiplicis omnino eruditionis, qui ob felicem curationis methodum, quibuſuis præcipuis Italiæ Principibus notus fuerat. Haud inferior vtroque erat, & ſcriptis à ſe in lucem editis, & peritia medendi *Fœlix Louicienſis*, vir apud Optimates Hiſpaniæ gratioſus, apud populum Madritenſem venerabilis, omnibusq; in Aula CAROLI V. Imp. æquè carus. Fuit & apud MATTHIAM Regem Hungarorũ, paulò ſuperiore ætate in pretio, *Stanislaus Pleſouienſis*, Medicus excellens, elegans Poëta, clarus Orator, antiquitatis ſolers, indagator vtriuſque linguæ peritiſſimus, & quòd maximè in eo laudabile fuerat, comis moribus ſupra modum; quibus maximè diſcipulo ſuo *Creſlao Cu-*

rozuan-

rozuanſcio Regni Cancellario, ac Epiſcopo Vladiſlauienſi charus exſtitit. Quid dicam de *Martino Ilkuſſienſi*, apud eundem MATTHIAM Regem Medico, ac deinde *Parocho Budenſi, Archidiacono Zagrabienſi*, probitate ac eruditionis laude conſpicuo, quaſi adnata quadam Medicis Cracouienſibus conſuetudine, in Mathematicis ſcientijs peritiſsimo? Quid de *Laurentio Ratiborienſi*, qui in Aula LADISLAI Hungariæ & Bohemiæ Regis, Medicus & Philoſophus eruditionis fama nobiliſsimus vixerat? Quid de *Ioſepho Vrendouio*, qui doctiſsimis ingenij monumentis, explicationeq; variarum herbarum atque ſtirpium apud poſteros viuit? Quid Pilſnenſes illi, ſimplicium, & eorum quæ terra ex ſe fundit, ſcientia præſtantiſsimi? è quorum numero *Simon Maricius*, vir acri iudicio, & omnis antiquitatis peritia clariſsimus, ac vtraque oratione ſiue ſcriptione diſertꝰ & elegans, *De Scholis inſtituendis*, librum doctiſsimum edidit? Quid Curzelouienſes, non minus ad Medicinam, quàm ad Mathematicas ſcientias, ſoli ſui Genio apti: quorum noſtra ætate vnus *Ioannes Broſcius*, ob Philoſophiæ, Medicinæ, Mathematicæ, Theologiæ, omniſq; antiquitatis, ac trium linguarum cognitionem, primoribus Regni gratus, vulgo venerabilis, & omnibus probis atque doctis carus. *Petrus* de *Chotkowo*, vel ſua magnitudine notus, qui primum arte medendi claritatem aſſecutus, deinde munere Cancellarij Maſouiæ, & Epiſcopatus Plocenſis Tiaræ dignitate. *Ioannem* verò *Fontanum*, dignũ æternâ memoriâ ingenij monumenta teſtantur. *Valentinumq́,* eius nepotem, non minus Mathematicarum diſciplinarum, quàm artis Medendi peritia, poſteritati commendabit, qui noſtra iam ætate omnis ferè elegantiæ & antiquitatis admirator fuit peritiſsimus. Prout & coætaneus ipſius *Simon Sirenius*, qui vel idcirco potiſsimum, clarum inter Medicos nomen obtinuit, quòd herbarum cognitione excelleret, earumq; virtutes ac proprietates patrio ſermone expreſſas, nobis reliquiſſet. Taceo *Miechouienſem* illum, priſci æ-

vi virum, Alexandro atq; Sigismvndo I. Regibus Poloniæ mirè carum, tùm ob animi modestiam, tùm ob singularem Matheseos atque Medicinæ notitiā: qui insuper nihil Conciliorum, nihil Historiarum, nihil veterum Theologorum non excussit; & tamen nihil habuit arrogantiæ, nihil bilis, nihil supercilij. Taceo *Albertum Brudzouiensem*, apud eundem Regem Alexandrvm, ob Mathematices & Medicinæ scientiam maximo in pretio habitum. Taceo *Bartholum* atque *Sirnium*, Sendomiriæ; *Borchum*, Posnaniæ; *Zemelcium* & *Slescouium*, Calissij; *Roscouicium*, *Ioannicium*, *Pipanum*, *Picum*, *Zalasouium*, *Liscouicium*, aliosq; infinitos, præter Artem Medendi, in literis humanioribus quoque & politicis feliciter exercitatos, Cracouiæ; quibus veluti ramos aliquos Zamoscensis Academiæ Professores, *Ioannem Vrsinum*, *Adamum Bursium*, *Simonemq; Bircouium*, celeberrimos scriptores, & in vtraque Lingua peritissimos, ad suum stipitem Academiam Cracouiensem adiungam. In qua paucos ante annos, floruit quoque *Sebastianus Petricius*, ob eximiam Physices, Politices, Poetices, reiq; Medicæ peritiam, magnum olim gratiæ & auctoritatis locum obtinens, apud Cardinalem Macieiovivm primùm, deinde apud *Demetrium* Moscouiæ Principem, eo quòd in Mathematicis etiā disciplinis, atque scriptione librorum diuersorum excelleret. Omitto hic *Gallum*, *Bolcumq;* *Louicienses*: Omitto *Sixtum*, *Campianum*, *Habermanum*, *Bresinium*, *Coreniouium*, *Leopolienses*: omitto infinitos alios, qui ex Academia Cracouiensi tanquam ex equo Troiano prodeuntes, non minori à Principibus viris sua ætate æstimabantur, quàm olim *Asclepiades* à *Mithridate*, *Critobulus* à *Philippo Alexandri* patre, aut *Erasistratus* ab *Antiocho* Syriæ, quòd eos solerti curatione sanassent. Hodie qui prædecessorum suorum famam suo nomine sustinent, & industria sua Scholæ celebritatem extendunt, sunt in curando excellentissimi, *Christophorus Naymanouicius*, virtute, literis, prudentia, & rerum agendarum peritia,

tàm in Academia, quàm in Senatu vrbis Cracouienſis, inſignis. *Matthias Womeyſki*, non ingenio tantùm magno, facili, prompto, atque ad omnia parato, ſed etiam placido, affabili, & benigno, inter ſæculi ſui primos viros difertos meritò adnumerandus, huius & cùm Illuſtriſsimis Regni Senatoribus familiaritatem, & medendi ac regendi felicitatem futura etiam dicet poſteritas. Quid *Laurentius Smieſcouicius* Græcè Latineq; doctus, atque exquiſitarum & reconditarum literarum cognitione cum paucis conferendus, egregius Poëta, grauis Orator, qui itidem vitæ integritate, lectionisq; varietate Principum in Repub. virorum animos, in ſui amorem pellexit. Quid memorem *Ioannem Innocentium Petricium*, qui ad Patriæ potiſsimum gloriam & laudem Hiſtoricas ſuas lucubrationes refert, quæ alijs in Eloquentia & Politicis ſcientijs meditatis iunctæ, poſtquam vno volumine comprehenſæ lucem aſpexerint ingentem, Patriæ conciliabit honorem, poſteris ſcientiæ ſuæ relinquet fructum, ſibiq; tandem nominis famam nullis ſæculis interituram comparabit. Sunt & alij extra Collegium & Profeſsionis munus, viri magni & in medendo laudatiſsimi, qui Academiæ gloriam, ex qua prodierunt, intermori nunquam ſinent, & Facultatem Medicam cana ſua prudentia exornabunt. Præcipuè *Andreas Wolfouicius*, qui non modò ſuæ eruditionis gloriâ quam affatim ex Mathematicarum & Medicarum diſciplinarum fontibus decerpſit, Regno huic & doctiſsimis Ithaliæ Æſculapijs clariſsimus, ſed etiam filiorum ſuorum indole & ſuprà ætatem profectu, ad ſpem Eccleſiæ & Patriæ ſuccreſcentium; non dubium eſt feliciter eos & glorioſè paternam laudem & dignitatem geſtaturos. Quid *Albertus Bonicouius* cui profundum ſatis ad ſui contemplationem animum Natura dedit. *Ioannes Mitkouius* longa experientia magnorumq; conuerſione virorum clariſsimus, *Franciſcus Rolinius*, non modò Praxi Medicâ, verum Mathematico etiam ſtudio inſigniter excultus *Nicolaus Niclaſeuius*, virum

& Mathematicis diſciplinis & Medendi felicitate præſtantiſſimum. Quid *Ioannes, Ochocius,* qui inter vrbis Senatores rerum peritia atque eloquentia conſpicuus. Tum in Venerabili quoque Collegio Canonicorum Cracouienſium *Chriſtophorus Sapalius,* cui pietas & eruditio, tàm in Orbis vrbe, quàm in Regia Poloniæ nomen non incelebre dederunt; Concionator facundus, Græcus, Mathematicusq; nobiliſsimus, diſputator ſubtilis, prætereà Philoſophicam atque Medicam lauream. SS. Theologiæ quoque Magiſterio plurimùm venerandus.

Cæterùm ſunt & Iuris Antiſtites celeberrimi, qui & famam egregiè tuentur, & Academiam aſsidui contentione laboris exornant, quibus poſt fata ſua etiam viuent. Inprimis *Iacobus Naymanouicius* Canonicus Cracouienſis, Iuriſprudentiæ, ſi vllus, celebris Myſta; ingenio perſpicaci, memoria fideli, iudicio graui, linguarum exoticarum peritia, multimodaq; lectione atque rerum peritia clariſsimus. Cuius grauitatem, conſtantiam, fidem, præſtantiam, in Rep. literaria tuenda curam, atq; prudentiam, annalium monumenta celebrabunt. Sed quibus laudibus efferam, reconditæ eruditionis Dictatorem, intimi candoris, & laboris arbitrum, veritatis primipilum, *Thomam Euſtachium à Swinari & Piontek Swinarſcium,* generis nobilitate, memoriæ fœlicitate, morum innocentia animiq; tranquillitate clariſsimum, quem ob maximas lucubrationes, & continuas ex Cathedra prælectiones, etiamnum in decrepita ætate ſuſpiciunt & mirantur omnes. Merito illi grata poſteritas & præſens doctiſsimorum virorum *Areopagus* tribuet illud elogium, quod *Ser. Sulpitio* adſcripſit *M. Tullius.* Omnes ex omni ætate, qui hac in Ciuitate intelligentiam iuris habuerunt, ſi vnum in locum conferantur, cum *Euſtachio Swinarſcio* non ſunt comparandi. Neq; enim ille magis iuriſconſultus, quàm Iuſtitiæ fuit. *Duo millia ad menſam Commun: fundauit ad confraternitatem Rozarij mille flor: ad minus Col: pro Orat: mille*

mille meditatur. Ille hoſpites humanitate Collegas liberali-tate, Profeſſores laborioſos ſingulari fauore proſequitur. Ad Collegium enim D D. Iuriſconſultorũ pro menſa communi Viuus & Superſtes (& vtinam ſit multos in annos ſanus & ſuperſtes) mille flor. fundauit: ille Roſarium in ſua *parœciam Luboricen.* induxit. & mille flor. auxit, ille pro Oratore Minoris Colle. mille ſe daturum pollicetur. In eodem venerabilium Canonicorum Crac: Collegio, ingenio, doctrina, labore, modeſtiaq; inter Iuriſconſultos æui ſui excellentiſsimus, & morum probitate, candore, facilitate, liberalitateq; conſpicuus, *Bartholomæus Ianuſowicz.* Ponè ſequuntur *Iacobus Gorſcius*, & *Staniſlaus Pudłouius*, qui vt ingenij acumine pollent, & multarum rerum peritiâ, atque Mathematicarum diſciplinarum cognitione, ita profeſsionis ſuæ dignitatem ſedula opera hoc tempore ſuſtinent. Quid *Andreas Petricouius* Ampliſsimi Senatus Cracouien: Conſul? in quo Iuris vtriuſque peritiam, an Philologiam admireris, ignores: nihil ipſe in vtraque ignorat, doctus & diſertus, etiã in linguis externis. Quid *Staniſlaus Rozicius*, nunc Poſnanienſis Lycæi Director, & Cathedralis Eccleſiæ Canonicus, vir exquiſitæ doctrinæ, omnibusq, ingenita quadam animi lenitate & affabilitate cariſsimus? Tum *Matthias Burſowicz* Seminarij Archidiæceſani Gneſnenſis Præfectus, vir natura humaniſsimus, & in humanioribus literis optimè verſatus. Item *Laurentius Alphonſius Karinſki* ingenio memoria iudicio cæteriſq; ſingularibus animi dotibus illuſtris. *Staniſlausq; Czaplicius* Contubernij Iuriſperitorum Præfectus, non minori obſeruantia dignus ob vitam probatiſsimam, quàm ob eruditionem ſingularem. Quid illæ non è vulgo Iuriſperitorum animæ & æterna Academiæ Crac: decora, quæ noſtram ætatem aut memoriã anteceſſerunt, horumq; quos enumerauimus anteſignanorum præceptores fuerunt, *Petrus Gorcinius*, qui XV. Academiæ Principatũ & faſces ſumendo feliciter gubernauit. *Hieronymus Gorecius* à Sapientiſsimis

viris oraculum Lechiæ appellatus, quia illi ad ſummam Iuriſconſulti laudem nihil omnino defuit; ſiquidem in illo omnia ſumma fuerunt, ingenium, iudicium, memoria, & indefeſſus denique labor. *Iacobus Ianidlouius* vbique libenter auditus, ſemper laudatus, auditorum illuſtrium multitudine celebris, atque de humanitatis ſtudijs optimè meritus. *Ioannes Waczlauouicius* poſt longas vigilias, poſtq; indefeſſos in Academia atque Regia labores, plenus honorum, plenus laudis; Regi fidus, patriæ carus, vtilis omnibus, iniurius nemini deceſsit. Tranſeo *Ioannem Vladiſlawſki*, SERENISSIMI REGIS VLADISLAI IV. præceptorem, cui pietas & eruditio nomen non incelebre etiam ad poſteros dederunt, vel maximè ob factas ingenti liberalitate fundationes, tam in Collegio Artiſtarum, quàm in Collegio Iuriſperitorum. Tranſeo & *Ioannem Foxium*, Archidiaconum Cracouienſem, cùm in diuerſis Actibus publicis, tùm in prouincialibus Synodis, tanta verborum ſuauitate ſententiarumq; grauitate, vti ſua ſcripta atteſtantur, perorare ſolitum, vt omnium animos, oculos, & amorem in ſe conuerteret, ſibiq; dicendo conciliaret. Omitto *Iacobum* illum *Gorſcium*, Canonicum & Archipreſbyterum Cracouien: ad Græcæ Linguæ ſtudium, & Eloquentiam proniorem, Theologumq; profundiſsimum; qui vt erat ingenio acerrimo, & excelſa animi magnitudine, ita ſtylo, voce, opere & authoritate, ſerpentes ætate ſua hæreſes per Poloniam, propemodum iugulauit. Omitto *Lucam Reſouienſem* Canonicum Crac: in dandis conſilijs cautiſsimum. Taceo viros vbique conſultiſsimos *Croſnerum*, *Scrobcouicium*, *Mieſinium*, *Sidlouienſem*. Taceo, *Mondrouicium*, *Sczerbicium*, *Krzyſtanouicium* linguarum diuerſarum peritia, luculentiſsimiſq; lucubrationibus clariſsimos. Taceo *Malinouium*, *Bielauium*, *Volbramum*, quorum illi præter Iuris exactam peritiam, Mathematici inſuper ſupra captum vulgarem fuere. Iſte per omnes ferè diſciplinas liberius euagatus, praxim ſcriptionis

nis iuridicæ, adamauerat; prout & *Ioannes Mlauita*, Causarum decisionem, seu controuersiarum iuridicarum. Taceo reliquos infinitos, Iurisprudentiæ & Iustitiæ Sacerdotes. non enim Cathalogum recitare institui, sed magnas illas animas, quæ istam nobilissimam Facultatem, suis laboribus, suoq; ingenio exornarunt, ad posterorum exemplum, breuiter commemorare volui, secutus hac in parte, exemplum eruditissimi olim viri *Andreæ* de *Labischin*, Decretorum Doctoris, Sacræq; Th. Baccal. qui simili cum enumeratione doctissimorum virorum, de Nobilissimæ huius Academiæ institutione & auspicijs, ante annos ferè centum & quinquaginta, deq; Artium omnium laudibus elegantissimè perorauit. Reuera enim innumerabiles ex hoc Gymnasio viri prodierunt, quâ virtute, quâ scientia illustres, qui cum antea iuuentutis formatores essent, ad Infulas postea vocati & Senatum Regni ornabant, & prudenti regimine commissos sibi populos gubernabant, pacis, & belli temporibus.

Sed iam Sacræ paginæ interpretes videamus, qui cùm vbique, tùm in Scholis præcipuè, principatum eruditionis sibi vendicant. Et quidem meritò. Rectè etenim de Deo sentire, rectèq; ac religiosè cognitum colere, ex sacrarum legum præscripto, populum Catholicum decet. Et iam apud eos non tantopere modulatur Virgiliana Musa, nec resonant Lyrici vates; non reboat Ciceronis oratio, neq; argutè raciocinatur Peripateticus Stagyrites: sed in horum vicem successerunt Psalmici rythmi, profunda locutio Patriarcharũ, œnigmatici sensus Prophetarum, parabolæ Euangelicæ, purissimus sermo Sanctorum Patrum, & diuinus quidam genius acquisiti styli in libellis precum. Etenim quo arctius nos cum Deo sacrarum literarum meditatio coniungit, eo puriorem mentem, simplicioraq; verba à nobis requirit, vt sacras Historias legendo, quæ vel in veteri, vel in Nouo testamento facta fuerunt, eo faciliùs ediscamus: Et in vtroque Tropologiam pensitando diligenter, faciẽnda connotemus: Allegoriam

riam interpretando credenda ſciamus; Anagogiamq; contemplando appetenda, ſpe firmiſsima complectamur. Eiuſmodi venerabiles Magiſtri, & perfecti ſanctimoniâ viri, etſi paſsim in Regno, diuerſis in Religionibus, diuerſiſq; in ſtatibus hominum, aut Collegijs Sacerdotum, noſtro & patrum noſtrûm æuo complures enituêre, potiſsima attamen pars illorum, ex Academiæ Cracouienſis prodijt inſtitutione. Atque inter eos STANISLAVS HOSIVS Cardinalis veluti ſol inter luces minores; vir ſupra inuidiam, & Theologorum æui ſui decus. Nihil enim eius, ingenio viuacius, nihil pectore fœcundius, nihil doctrina certius veriuſq; fuit, quam opere ſtatim ipſo comprobabat. Vnde ipſius vitæ ſanctimonia, qua clarus vixit, non vrbi modò, ſed toti Orbi innotuit; turmatim nimirum cum è viuis exceſsiſſet, ad corpus eius viſendum à Romanis concurſum eſt, quibus, & oſcula figere, è veſtibuſq; aliquid decerpere, aut tangere, ſummæ pietatis & obſeruantiæ fuit argumentum: vt *Staniſlaum Reſcium* teſtem oculatum, legentibus facilè videre eſt. Qui & ipſe virtutibus Patrono ſuo haud inferior ſanè, rara Græcarum litterarum, & earum à quibus humani verè dicimur & efficimur, cognitione præditus fuit. Quid ſi veteres illos Confeſſores ſanctiſsimos, Doctoreſq; religioſiſsimos, aut ipſos Religioſos puritate vitæ atque candore animi lucidiſsimos commemorem? *Ioannem Cantium* Profeſſorem Sacrarum literarum diuina imbutum ſapientia, & in quo iam inde à primis annis ea fuit pietas & innocentiſsima ſanctitas morum, vt priſcorum Eccleſiæ Patrum eximium in eo ſpecimen eluceret, totaq; vita, & poſt funera ad ſepulchrum, diuerſitas miraculorum beatæ fruitionis gratiam, luculentiſsimè atteſtaretur. *Antonium* deinde *Anapachanenſem*, *Simonem Lipnicenſem*, *Michaëlem Gedrucium*, *Staniſlaum Cazimirienſem* alioſq; plurimos vitæ ſanctitate atq; ſignis patratis celeberrimos. Quos facilè ſequuntur inſignes illi Concionatores Leopolienſes, Archipreſbyter Cracouienſis vnus, alter ſacrarum litera-

terarum in Maiori Collegio Profeſſor, vterque *Ioannis* nomine appellatus, vterque magnæ religionis & virtutis. Quid *Herbeſtij* fratres, & pietate conſpicui, & eruditione omnes tres celeberrimi. Quid *Ioannes Velicius*, AVGVSTI SIGISMVNDI REGIS Eccleſiaſtes, qui cum concionaturus in ſuggeſtum prodibat, per innumeram auditorum turbam, vix ipſe tranſitum reperiebat? Quid vetuſtiores illi Sacræ huius Scientiæ anteſignani? *Thomas Strzempinius* Profeſſor primùm, deinde Epiſcopus Crac: *Michäel Florentius*, Benedictinorum deinceps apud S. Crucem in Caluo monte Abbas, in quo ſubtilitas ingenij ſupra fidem, maturitas iudicij ſupra ætatem, memoriæ vis ſupra admirationem, facundiaq; ſuadæ ſupra opinionem adhuc in iuniori ætate effloruerat; in maturiore, idoneum fidelemq; Chriſti miniſtrum in docendo & concionando effecerat. Compar illi fuit, Religioſus Fr. *Andreas* de *Lubieniec*, ibidem in patria ſua deinde digniſsimus Abbas, Philoſophus & Theologus in concionibus facundus, rerumq; cœleſtium contemplationi impenſè deditus. Fuit & *Iacobo Ilzenſi*, tandem poſt longam ſacrarum literarum profeſsionem Suffraganeo Plocenſi, varium & liberale ingenium, quod nullis incluſum ſpatijs per omnes ferè diſciplinas liberius euagaretur. Et Fr. *Petro* de *Paradiſo* non deerat induſtria ſingularis, qua & bonas artes tractauit cum laude, & in patria ſua Abbas Ciſtercienſium creatus, comis & ſuauis in moribus fuit, inq; lectione, ſcriptione, ac rerum ſacrarum meditatione aſsiduus. Floruit ijsdem temporibus inter Doctores Theologos vir ferè primarius *Thomas Ilcuſſienſis*, poſtea Præpoſitus *Miechouienſis*, non in diuinis modò ſcripturis, ſed in omnibus ferè humanioribus artibus longo ſtudio exercitatus, & in Iure Canonico non mediocriter doctus. Prout & *Albertus Opatouienſis*, præceptor ANDREÆ ROSA Archiepiſcopi Gneſnenſis, quem ipſe laurea Philoſophica ornauerat, ornatus deinde ab illo multis beneficijs & dignitatibus Eccleſiaſticis, ex quibus omni vita

ſua in ſtudioſos pauperes fuit largus, & promotor ingeniorum liberalis. Tum *Ioannes Cracouienſis*, Suffraganeus deinceps Crac. vir multiplici variarum rerum cognitione eleganter excultus, & in Academia prælectionum Theologicarum elegantia, in Eccleſia concionum verè Chriſtianarum facundia, in Regia verò rerum agendarum prudentia notus. Sed quis tandem huius nobiliſsimæ Facultatis Antiſtites & Anteſignanos enumerare poterit, ſiquidem omnes in Polonia Religiones, omnes Cathedræ Epiſcopales, omnia Doctorum virorum Collegia, hinc viros præcipuos habuêre, ex quo literæ in Poloniam introductæ ſunt. Hodieq; omnes quotquot grauioribus ſcientijs perfuſi, laurea Doctorali inſigniri cupiunt, ad Academiam Crac. accurrunt, quæ ſola Vniuerſitatis titulo gaudet: hæcq; ſola eſt Arctoi Orbis Magiſtra, hæc Sarmatiæ noſtræ decus, hæc totius Septentrionis vnicum, Atheneum, Poloniæ oraculũ, Muſarum domiciliũ, nidus virtutis, turris Eccleſiaſticæ immunitatis, murus & propugnaculum Catholicæ Religionis atq; ſanctitatis. Hinc enim Nobiles viri, filijs ſuis præceptores; hinc Proceres Regni cōſiliarios, hinc Præſules cauſarum Auditores, hinc Reſpub. vniuerſa Medicos, Scriptores, Metatores, Arithmeticos, Theologos, Concionatores deſumit; hinc Sacerdotes, Ludimagiſtros, Cantores, Cauſidicos habet; hinc particulares Academiæ Magiſtros, hinc omnes quotquot in Polonia Religiones ſunt viros doctiſsimos. Dedit itaque hæc Schola, non paucos Eccleſiæ Præſules, dedit & Reip. ampliſsimos Senatores, cum non plebeij modo homines, ſed primariæ quoque & antiquiſsimæ nobilitatis viri, vt eruditionis ſuæ, ſic & virtutis teſtimonia accipere conſuêſſent. Ita PETRVS de Brun Epiſcopus Vladiſlauienſis, in Decanatu Magiſtri *Staniſlai Petricouienſis:* ANDREAS de Bnin Epiſcopus Poſnanieñ. ſub Decano *Io. Mentio:* GREGORIVS de Sanok Archiep. Leopolieñ. vir antiquiſsimæ & primariæ Nobilitatis, eruditioniſq; & integritatis ſingularis, ſub *Sigiſmundo Pi-*

do Piſdrenſi. NICOLAVS SOLECZYNSKI Epiſcopus Vilnenſis, Hiſtoricus, nec non totius antiquitatis perueſtigator ſolertiſsimus, ſub Decano ANDREA GRYMALA: SBIGNEVS OLESNICIVS Cardinalis, ſummæ in Repub. authoritatis vir, ſub Clemente de Gorka: STANISLAVS CVROSVANSCIVS Canonicus Crac: & Regni Cancellarius prudentiſsimus, ſub IOANNE de Ilkuſſ. ANDREAS OPOROVIVS Epiſcopus Vladiſlauieñ. alienus vti fertur ab hominum conſuetudine, ſemper libris, ſemper chartis affixus: prout & condiſcipulus ſuus atque deinceps Collega in Senatu IOANNES de Targouiſko Epiſcopus Præmiſlienſis. Taceo hic IOANNEM LVBRANSCIVM Epiſcopum Poſnanienſem, ſtudij Academici penes ſuam Cathedram fundatoris, qui ſub IOANNE de Pilcza, multæ lectionis & ſtudij viro, Philoſophiæ Doctoratum accepit. Taceo excellentiſsimos in artibus Magiſtros, IOANNEM Vratiſlauienſem, & STANISLAVM Olomunecenſem Antiſtites Reuerendiſsimos, Taceo VITELLIOS, TOMICIOS, CHOINIOS, GOSLICIOS, CONARIOS, CROMEROSq; diuerſarum Eccleſiarum Epiſcopos. BARANOVIVM, DEMBINIVM, IASTRZEMBECIVM, LASCIVM, Archiepiſcopos: REGOVIVM, MALACHOVIVM, MAKOVECIVM, Abbates: VASKONEM, FALENCIVM, PIRAVIVM, Suffraganeos. Taceo denique alios omnes ſeculares, Principes, Comites, Barones, Senatoreſq; Reipub. ampliſsimos, qui ſub huius Collegij diſciplina, cum literis pietatem, moreſq; optimos didicerunt, & vt in Eccleſia, aut Repub. magni eſſent, pacis & belli tempore, hic primùm creuerunt. In cuius rei euidens teſtimonium, vel Philoſophiæ tantùm Myſtas, idq; è præcipuis familijs natos hic aliquot commemorabo, videlicet, NICOLAVM, GABRIELEM, IOANNEM, atque SANDIVOGIVM, Tenczynios; quorum primus Ruſsiæ Palatini dignitatem geſsit, perijtq; bello Valachico, tempore IOANNIS ALBERTI Regis. Alter ibidem à barbaris captus, & grandi poſtea lytro liberatus, tantos quieti deditus in Latina pari-

ter ac Græca Lingua progreſſus fecit, vt ſuperiorem haberet neminem. Tertius, in quo virtus cum doctrina, ingenium cum aſsidua legendi auiditate certauit, vnde & titulum dignitatemq; Caſtellani Cracouienſis ab ALEXANDRO Rege facilè obtinuit. Quartus denique Canonicorum Crac. Collegio adſcriptus, adeo ingenium habuit in numerato, vt quallibet de re, ex tempore ferè diſertè diceret. Horum æmuli tàm in literis, quàm in Patriæ amore fuêre, SAMOTVLII, MELZINII, OSTROROGEI, Decretorum primò Doctores in Lycæo formatores, in Senatu deinde præſideſq; decretorum, & conſeruatores legum diligentiſsimi. Prout & NICOLAVS Comes Viſnicienſis Palatinus Crac. per STANISLAVM de Szadek laurea Philoſophica decoratus. Felix item LASCIVS Palatinus Siradienſis, homo cum Iuris ſcripti & conſuetudinarij, tum literarum & diſciplinarum ferè omnium peritiſsimus; æquitatis, fidei, humanitatis per quam ſtudioſus, omniumq; bonorum gratia, atque Regum beneuolentia in dignitate Senatoria florens. Præterea IOANNES OCIESCIVS Regni Cancellarius Supremus, totus ad Eloquentiam natus, & ingenij profunditate cum magnis comparandus. Quid dicam de IOANNE HERBORTO Caſtellano Sanocenſi, qui leges noſtras patrias vno volumine ita complexus eſt, vt cum Iurium peritia, literarum ſcientiam, & antiquitatum patriæ notitiam, magno ciuium vniuerſorum fructu coniungeret; fuit enim in quæſtionibus Scholaſticis, Phyſicis, Theologicis, atq; Iuriſperitorum eruditionis prorſus eximiæ. Nec infelicior patre fuit, filius Fœlix, qui mirè Poetarum omnium fabulas tenebat, Dialecticorum argutias callebat, Oratorum & Hiſtoricorum libros omnes excuſſerat, Phyſices arcana perueſtigauerat, in ſacris literis nihil tam arduum fuit & difficile, de quo non ſubtiliter & accuratè diſputarit. Non poſſum præterire IOANNEM de Szatkouice Caſtellanum Rauenſem, magnæ prudentiæ Senatorem, ſub PETRO de Swanow, Philoſophica laurea ornatum,

natum, summæ in dicendo & scribendo venustatis. Tempore planè eodem fuit laurea condecoratus Philosophica ANDREAS de Somlio BATHOREVS, per Magistrum IOANNEM Louiciensem, paulòq; post STEPHANVS BATHOREVS eius filius. Quibus addam sanctitate viros illustres STANISLAVM Prosouiensem, IOANNEMq; Duclensem FF. Ordinis Minor. S. Francisci, qui in pietate & studijs, potissimum autem sacrarum literarum felicem deinceps collocauerant operam, cum in Academia primùm, Primos in Artibus gradus obtinuissent. Quorum coëtaneus fuit MARTINVS Crac. apud Carmelitas Doctor Singulari eruditione præditus, pietate conspicuus, ingenio & sermone promptus, & quod maximè in illo laudes, Regularis disciplinæ custos diligentissimus. Sed ne nimia prolixitate Auditoribus nostris nimium molesti simus, agmen Sophorum Sarmatiæ in STANISLAO ORICHOVIO claudamus, cui quam Latinus & elegans planeq; Romanus sermo fuerit? (vt de Græca lingua hîc nihil dicam) quanta diuinorum eruditio? quanta legum peritia? quanta cognitio Historiarum & Antiquitatum? testantur scripta immortali memoriæ ab illo tradita. Veneranda siquidem Artium Facultas non Ecclesiasticos modò viros complures eruditos patriæ edidit, sed sæculares etiam & è præcipuis familijs propè innumerabiles protulit, vt non immeritò FELIX PAPA fama huius rei permotus, laudauerit literis suis (Anno. 1441.) Academiæ Professores, quòd non tantùm Septentrionem suum, sed vniuersam Ecclesiam Dei, tùm scriptis, tùm doctrina ornare non desistant. Idem fecit & MARTINVS V. sed præcipuè ex pietate illos laudans, hortansq; pro officio pastorali, vt sedulò Viclefitis & Hussitis resistant. Nec immerito equidem: vt enim stellæ cœli, non sibi, sed huic Orbi lucent: nec tellus sibi est fœcunda, sed mortalibus: sic ingenij nostri lucem ad alios quoque peruenire necessum est, præsertim qui in tenebris ambulant, & vt scriptura Sacra inquit, in vmbra mortis sedent. Tanti

boni promotores & propagatores ex Academicis fuêre IOANNES Glogouienſis, MICHAEL Vratiſlauienſis, MARTINVS Pilſnenſis, IOACHIMVS Bielſcius, MARTINVS Bialobreſcius, alijq; infiniti, contra barbariem & gliſcentes hæreſes, ſtrenuè voce & calamo militantes; ſed quos inter ANDREAS PATRICIVS Epiſcopus Vendenſis præcipuum fermè locum tenet. Vir ſanè cui pietas in Deum, charitas in proximum, benignitas in omnes multiplex, etiam eruditio magnam apud omnes conciliauit beneuolentiam. Tum PETRVS SCARGA Canonicus Leopolienſis, in ſocietatem IESV cooptatus (quem multi deinceps ex Academicis ſunt ſecuti, & hodiedum ſequuntur, vt ex libro promotorum animaduertere licet) quam ſanctitatis exemplo, doctrina, & præſtantis ingenij monumentis, mirum in modum illuſtrauit. Non eſt prætereundum quomodo LEO quoque X. correctionem Kalendarij meditatus, ad omnes alias, quæcunque in Chriſtianitate reperiebantur, Academias ſcribens, ad Vniuerſitatem quoque Crac. Anno 1516, conſilia communicando ſcripſerit: vtq; viri in ſcientijs Mathematicis peritiſsimi, ex ea libellum de Correctione Kalendarij compoſitum, ad vrbem miſerint. Similiter in cauſa electionis ſuæ requiſierunt ſententiam Academiæ Crac. FOELIX. V. NICOLAVS. V. MARTINVS. V. EVGENIVS. IV. & Concilium denique Baſilienſe. Quibus herclè temporibus florebant in Academia valentes in omnibus ferè ſcientijs Doctores. STANISLAVS de Szadek vir magni iudicij, nec minoris facundiæ & eruditionis inter Theologos. IOANNES Pilcenſis antiquitatis Eccleſiaſticæ ſolers indagator, & trium linguarum peritiſsimus Profeſſor. MARTINVS Campius & ALBERTVS frater eius Theologiæ lectores eruditiſsimi, qui ſuis ſcriptis hæreſes tunc per Poloniam atque Hungariam gliſcentes efficaciſsimè compeſcuerunt. Iiſdem temporibus floruit & IACOBVS de Goſtinino, Vir in antiquis Patribus & Concilijs verſatiſsimus, & IOANNES Leopolienſis

Mathe-

Mathematicus, vt vix parem ſequens ætas tulerit. Itemq; GEORGIVS & MARTINVS Leopolienſes, hîc, cùm omni ferè liberali doctrina imbutus, tùm Muſicorum ſui ſæculi princeps; Ille in Concionandi munere eximius, primiq; ſubſellij Philoſophus, & literis humanis non parum excultus. Fuerunt & Canoniſtæ peritiſsimi, & Summiſtæ iudicioſiſsimi, quos inter *Fœlix Siebocius moribus* grauis ac maturus, quietisq; literariæ ac ſolitudinis amans. IOANNES Muſcenius Linguæ Græcæ & Latinæ ſcientiſsimus, felicis ingenij & magnæ induſtriæ. MARTINVS Viaſdouius vir celeberrimus, & pietate ac eruditione incomparabilis, qui Diuum Paulum interprætando, hæreſes ſuo tempore graſſantes, tum viua voce, tum editis libris ſtrenuè profligauit, deciesq; in Academia ſummum geſsit principatum. Compar ei ANDREAS Troperus erat, excellebatq; rara ſummi ingenij & ſummæ prudentiæ fœlicitate, vtriusq; autem condimentum ſingularem pietatem habuit; & quod in eo ſingularem omnium admirationem excitabat, Latinè, Græcè, Hebraicèq; eleganter loquebatur. Quo ſanè tempore vixêre & MARTINVS Neruicius, morum probitate laudabilis & ſcientia, gratusq; ſui temporis Viris ſapientibus; & SEBASTIANVS Clepardienſis, vir certè non in Hiſtoria modò, ſed in Oratoria quoque ac Poëtica facultate, omniq; politiori literatura egregiè verſatus. Tum SIMON Siebrcius, linguæ vtriuſque iuxta peritus, ſummâ & ingenij acrimonia, & iudicij, præditus. Sequenti deinde ætate inter Profeſſores celeberrimus habebatur STANISLAVS Radoſicius, qui ingenij acumine ad ſoluendos difficillimarum quæſtionum nodos multum in Academia valuit: feliciter etiam in ſacrarum literarum lectione verſatus. MARTINVS Biecenſis vir calami & laboris indefeſsi, Poëta ſuauis, Orator purus & elegans, eadem ætate floruit. Et PETRVS Slouacius, multa & vitæ integritate, & eruditionis laude conſpicuus, magnusq; ſui, ac rerum mundanarum contemptor. Prout & MELCHIOR Moſci-

 cenſis,

censis, sacro deinceps Dominicanorum cætui adscriptus, qui vtrobique tàm scriptis, quàm vitæ exemplo, eximium pietatis specimen domesticis edidit: scripturarũ enim diuinarum lectio eum maximè occupabat. De IOANNE verò Volbramio quid dicam? qui diuinis & humanis literis clarus, vnus inter paucos sua ætate Eloquentiam, Poësim, cæterasq; artes bonas, cum sapientia iunxit, docuitq;; ac ob vitæ innocentiam, morumq; integritatem omnibus erat carissimus. Quid de STANISLAO Grebsio? cui nihil vel ad eruditionis copiam, vel ad morum integritatem, vitæq; candorem deesse videbatur; siquidem trium Linguarum præsidio ad omnium artium intima penetralia facilè penetrarat. Quid de eius discipulo STANISLAO Socolouio? quippe in quo accurata Græcæ, Hæbraicæq; Linguæ, vt & in præceptore cognitio erat? Eiusq; ingenio nihil subtilius, eius memoria nihil promptius, eius facundia nihil suauius fuit; ac proinde summis in Repub. viris gratiosus, Regiq; fortissimo STEPHANO BATTHOREO charus semper exstitit. Sub quo Principe, floruit quoque inter alios Viros eruditissimos, MARTINVS Pilsnensis Poëta elegans & fluidus, Ecclesiastes eximius, Philosophus ingenio excellens, & Theologus Græcè, Latineq; doctissimus. Tum & IOANNES Clodauiensis, vir literarum scientia, morumq; probitate conspicuus, in Hebraicis non infeliciter versatus, Concionator facundus, vt vehemens; quin etiam dono discretionis spirituum omnes sui æui antecessit. Quo etiam tempore ANDREAS Tricesius laurea Philosophica redimitus, felix Poëta & suauis, lusit fauente Musarum choro. Lusit & STANISLAVS Niegoseuius cum eo, solutâ & nexâ scriptione disertus, præterq; diuersarum linguarum cognitionem & exactam peritiam, in iuuenili ætate sua quam vixerat, omnibus præstantioribus animi muneribus, virtutibusque prǽditus, & multiplici doctrinæ varietate instructus. Quid dicam de DEMETRIO SOLICOVIO Archiepiscopo Leopoliensi, optimis Artibus

in A-

in Academia erudito, & laureis Philoſophicis ob inſignes animi ſui ac ingenij dotes, meritò inſignito? vix etenim adoleſcentiæ prima ſpatia ingreſſus fuerat, & iam verſâ proſâq; ſcriptione ad elegantiam eminebat: Tandem ad Rempub. vocatus, & in ſpecula Eccleſiæ poſitus, non doctrina tantùm, ſed etiam Chriſtianis virtutibus, præſertim verò modeſtiâ, temperantiâ, & charitate feruentiſsima in pauperes fuit inſignis. Eius in ſede Archiepiſcopali ſucceſſor IOANNES Samoſcius, patriciâ apud Roxolanos familiâ nat9, quæ multos celebres non eruditione ſolùm, ſed & artibus militaribus viros produxit, extremæ voluntatis decreto, magnam ſuarum opum partem, vt ſtudioſi aliquot Leopolieñ. penes Academiam Crac. alantur, reliquit. Cuius exemplo alij quoque complures viri Eccleſiaſtici tenuitati ſtudioſorum prouidere haud neglexerunt, atque inter eos STANISLAVS Bontkouius Canonicus Crac. Vir, cui valdè cordi fuit ſtudioſè iuuentutis diſciplina, & cœleſtium rerum contemplatio: nec inter labores & occupationes Academicas Eccleſiaſticasq; neglexit vnquam ſacrarum literarum ſtudium, & antiquorum Eccleſiæ Doctorum lectionem. Fuit memoriâ tenaciſsimâ ac feliciſsimâ, vt ſeptuagenario maior, omnes ferè Poëtas claſsicos abſq; vlla hæſitatione recitaret. Haud parum quoque ornarunt Academiam Crac. SIMON atque FABIANVS Bircouij fratres: ille, in Zamoſcenſi Lycæo Medicinæ Profeſſor: iſte, in Ordinem S. Dominici tranſlatus, Theologus & Eccleſiaſtes Regius: vterque Philoſophus, Philologus, Græcæq; Linguæ peritia, & libris editis, clarus. Ornauit & IOANNES Ceruinus Franciſcanorum Conuentualium Sodalitati adſcriptus, in diuinis ſcripturis ad ſtuporem eruditus, ingenio ac eloquio celebris, ac non minus religioſa diſciplina & conuerſatione honeſta Venerabilis. Vbi & ADAMVS Piſdrenſis integritate vitæ fuit ſuis exemplo, alienis admirationi, Religioni verò non adiumento ſolùm, ſed prorſus ornamento. Quantus autem fuerit vir ADAMVS Romerius

us Stenzicenſis? quam in ſoluta oratione amœnus? quam in carmine elegans, & in Antiquitatibus ſcrutandis accuratus? fidem faciunt edita ab eo opuſcula in Ciceronem confecta, & alia ſcripta poſthuma in Theologia meditata. Quantusq; SEBASTIANVS Nucerinus, Cathedralis Eccleſiæ Per annos 25. Concionator? & velut alter NAZIANZENVS, virtutum lampas lucidiſsima, ſpeculum probitatis, exemplar Sapientiæ Sacerdotalis? dicet poſteritas & tamdiu laudabit, quamdiu virtus & literæ in pretio erunt. Non omnino omittendus BASILIVS Golinius magni iudicij vir atque ingenij, lectionis exquiſitæ, & in perueſtigandis atque eruendis S S. Patrum reconditis ſententijs ſummæ diligentiæ, patriæ Hiſtoriæ peritiſsimus, ſcriptor elegantiſsimus, & trium Linguarum cognitione ætate ſua celeberrimus. Compar huic ANDREAS Schonæus, vir cum reliquis ſcientijs Græcis atque Latinis expolitus, tum maximè S. Theologiæ cognitione ornatiſsimus, quam vltra viginti annos in Academia, magna cum laude, & auditorum frequentia, profeſſus eſt. Idem in Iure vtroque, Mathematicis diſciplinis, Medicina, Hiſtorijs, præ multis peritia excelluit, Poëta laureatus, Orator diſertiſſimus, Philoſophus ſubtiliſsimus. Fuit enim ei expeditum in omnes ſcientias ingenium, & incredibile in rebus diſcernendis iudicium. Haud ſilentio prætereundus eſt, & MARTINVS Plocenſis, vir ætate ſua, vt eximius Theologus, ita facundiſsimus Orator, ſacriq; eloquij in lingua vulgari præco celeberrimus. Tum SIMON Halicius, non ſcriptorum ſolummodò Diui Bernardi mirator, ſed & ſanctitatis vitæ diligentiſsimus imitator. Antiquitatis imprimis amans & indagator ſolers, Orator diſertiſsimus & Philoſophus Theologusq; acutiſsimus; probitate, ingenio, religione, diligentia, labore, ac morum ſuauitate excellentiſsimus. Quo tempore etiam vixêre, IOANNES Rokitnenſis in Matheſi rerumq; cœleſtium indagatione verſatus non infeliciter: SEBASTIANVS Igolomius optimis Philoſophis adnumerandus; ingenium,

um, laborem, fidemq; suam per æque promptam atque expeditam quamdiu vixit, præbens omnibus: IOANNES Latkouicius eloquens pariter ac doctus, & cui inter Roxolanos versanti, insignis erudiendi iuuenes diligentia, & elegans morum forma, probatissimi viri nomen conciliauerat, addideratq; animos sectandi artem Aesculapiam. Fuit & IOANNES Siebrcius, cui suo sæculo nomen non incelebre dederunt, pietas & eruditio. Et IOANNES Cylindrinus eleganti ingenio seniculus, variâq; ac rarâ eruditione. Inter quos primum locum tenet IOANNES Preczlaides, vir candidi ingenij, priscæ fidei, & sacrarum scripturarum scientia probè instructus, scribendi attamen quàm dicendi gratiâ præstantior: Cui merito addidero IOANNEM Rybcouicium virum egregiè doctum atque disertum, & qui perpetuò studijs, quibus & immortuus est, incubuit, in castigandis veteribus auctoribus vsque ad extremum spiritum insudans. MARTINVS Gilouius eruditione & pietate cæterorum virorum Academicorum more conspicuus, totus fuit ad humanitatem factus, & ob id omnibus carus atque gratus. Sedulitatis porro ac industriæ nomine commendabatur multum SEBASTIANVS Siradius; IOANNES verò Iouius Leopolień. ingenij soliditate, felicitate memoriæ, humaniorumq; studiorũ peritia conspicuꝰ fuit. Prætermisimꝰ IOANNEM Cłobucium magni ingenij & eloquentiæ virum, Philosophum, Historicum, omnisq; elegantioris doctrinæ appetentissimum: Itemq; IOANNEM Vresnanum, lepidum atque festiuum Poëtam: atq; adeò SAMVELEM Nakielsky, qui postquam in hoc Sarmatico Parnasso Musis fauentibus & Apolline dextro lauream primam decerpsit, tandem regiliosæ Familiæ Can. Reg. Custodum SS. Sepulchri Hierosolymitani, nomen suum libenter adscripsit: ille primus officij religiosi rationem proposuit, horas in ordinem digessit, Miechouiam siue promptuarium antiquitatum edidit. Tum alios quoque plurimos quorum nomina nobis ad præsens non occurrunt;

laboribus tamen ſuis & ingenio fuêre decori Academiæ, quæ ſemper virtute, pietate, atque doctrina floruit; hodieq; ocium, & facilem decliuitatem aſpernando, arduum laudis, maiorum æmulando exempla, ſudore maximo adnititur; habetq; viros in qualibet Facultate excellentiſsimos, quos non deprimit inuidia ſed excitat ad laborem: non egeſtas impedit, ſed promouet ad eruditionem & gloriam nominis comparandam. Vt enim corpora, corporum aliorum vicinitate atque attactu citiùs concaleſcunt, quæ ſeorſim ab alijs poſita, videmus obrigere: ſic animi quoque ſcientiæ & laudis appetentes, melius æqualium labore, æmulorum ardore, pluriumq; exemplo, quàm per ſe excitantur, impelluntur q; ad virtutem. In rebus verò humanis ita comparatum eſſe videmus, vt nullus ferè ſit populus, nulla communitas, nullus cœtus, cui non æmulum aliquem, & aduerſarium geniuſquiſpiam excitarit. Ita per omnia Regna & Imperia obſeruamus, continuas inter ciues, Deoq; ſacratos homines æmulationes, non tam ipſius virtutis, quàm neſcio cuius vmbratilis præeminentiæ, & oſtentationis. Sed quid ego hæc? quis enim neſcit, aut etiam non videt, maximæ cuiuſuis poteſtatis quoque viros, & qui communem hominum ſortem excellunt, æmulationi, inuidiæq; aliorum obnoxios eſſe? Ferendum itaque, quicquid Deus permittit, & Spartam conſtanti quam quiſq; nactus eſt animo adornet. Qui enim virtutem colunt liuori & inuidiæ ſemper expoſiti ſunt; ſed interim tamen eorum finis vitæ, principium laudis & gloriæ eſt ſempiternæ. Plutarchus de ſilentio Oraculi Pythiæ ſcribens, commemorat Corynthi in Oeco, inter templi anathemata extitiſſe palmam æneam, cuius ad radices viſebantur ranæ & ſerpentes. Quibus ſignificabatur ab iſtis laridis vituperatoribꝰ, ac maledicis inuidorũ linguis, exitiali veneno armatis, impeti illorum vitam qui recta ratione, ad dignitatis rerumq; præclariſsimarum faſtigia laborioſè emerſerunt. Vnde & Academici viri, improbas molitiones maleuo-

leuolorum, tam Hæreticorum, quam Pſeudopoliticorum ſpernendo, ſtant immobiles ſemper in virtute, florent in doctrina, & quod optimorum Profeſſorum munus eſt, præſtant id exemplis ipſi, quod verbis alios ex cathedra docent. Sunt in hoc Lycæo Sarmatico viri ſubtili eruditione conſpicui, laboribus excellentes, virtute præſtantes: eruntq; ſemper eiuſmodi vt nulla de eorum præclaris conatib. & laudibus ætas conticeſcat ADAMVM Opatouium, liberaliũ artium eruditione, ſacrarũq; literarũ cognitione celeberrimum, & verbi Dei preconem, Can. Crac. eloquentia, pietate, animiq; moderatione longè præſtantiſsimũ. Habemus & ALBERTVM Borouium virum eruditionis exquiſitæ, qui licet in rebus Theologicis potiſsimum verſatur, alia tamen ſtudia nequaquam negligit. Eſt & MATTHIAS Bloſius Profeſſor pius atque eruditus, & ſupra quam dici poteſt bonorum literarum ſtudijs excultus. Eſt & IACOBVS Vſtienſis, omni ferè doctrina liberali imbutus, & Philoſophiæ, Theologiæ, atque iuris vtriuſque laurea, ob eximiam eruditionem ornatus. IACOBVS verò Vitellius, vir ingenio facili, & trium linguarum peritiſsimus; miruſq; in omni ſcriptionis genere artifex, ſeu carmen pangat, ſeu ſolutam texat orationem politus eſt. ingenioſum & eruditum eſt quicquid ab ingenio illo venit. Quis non miretur MARTINI Vadouij Sacræ Theologiæ Doctoris & Profeſſoris ſummum & excellens ingenium, qui vt eruditione, & multarum rerum cognitione pollet, ita ſacræ Profeſsionis dignitatem ſedulâ operâ ſuſtinet; ſubtiliſsimus in reſoluendo, acutiſsimus in arguendo, feliciſsimus facillimusq; in docendo: & qui vaſta ſua memoria promptaq; velut in numerato omnes alias inferiores ſcientias habet & complectitur. Addam meritò IACOBVM Piotrouicium, moribus, religione, ſcientia, bonis doctisq; viris adnumerandum, vel maximè ob exactam rerum Politicarum cognitionem: ALBERTVM Miernicouium, ſubtili & eleganti ingenio virum. PAVLVM Hercium peregrinationibus excultum,

& Mathematicarum diſciplinarum peritiſsimũ: GREGORIVM Modlinium de Philoſophicis diſciplinis atq; Academia opti, me meritum: Tum ex Minoribus Collegis, IOANNEM Cynerſki Rachtamouium præcipuis quibuſuis Profeſſoribus meritò comparandum. Eſt enim felix Poëta, & vnà Orator egregius; vena illi facilis, amœna, florida, ſiue libero graditur pede, ſiue ſtricto paſſu inſiſtit. Æquè ſanè vt & NICOLAVS Zorauius triũ Linguarũ cognitione celeberrimus, ingenio, probitate, Medicarũ Mathematicarũq; rerũ ſcientia, quibuſuis doctiſsimis conferendus his adnumeretur. Non omittam ANDREAM Kucharſki Virum ſubtilis & Philoſophici penitus ingenij; Denique LVKAM Piotrouiũ amœniſſimi ingenij Comicũ, atque diligentem Grammaticũ, Virum inter ſolidè eruditos & probos præcipuũ. Et THOMAM Caneueſiũ Mathematicis diſciplinis terſaq; Poëſi commendatum. Sunt & alij plurimi diuerſis in artibus exercitati, quibus pietas & eruditio nomen haud incelebre dederunt, ſed omnes recenſere, & nimiùm longum eſſet, & nomina ad præſens meritaq; non occurrunt. Agmen igitur claudat vaſtiſſimi ingenij ac memoriæ vir ALBERTVS Griglicius, præter exactiſsimam trium Linguarum peritiam, aliarum quoque Orientalium linguarum cognitione celeberrimus, Poëta, Rhetor, Mathematicus Iureconſultus, & Antiquitatum ſedulus inueſtigator. Faxit autem Immortalis Deus, vt florentiſsimæ huius Academiæ gloria, quæ tam multorum in ſe amorem conuertit, & pietatem excitat, nulla aut Fortunæ, aut Inuidiæ vi vnquam collabaſcat, ſed indies virtute, Religione, doctrina, vt cæpit ab origine ſui, augeatur, creſcatq;, tuta patrocinio Regum ſuorum, atque fauore, quorum perpetuum ſeminarium eſt, Principum in Repub. & Eccleſia Dei Virorum. Vt enim fruges, aëris temperie, liquidioreq; cœlo exuberare videmus; ita & non ſecus bonas artes, eximiaq; ingenia, benignitate Regum, honorificentia Principum, humanitateq; præſtantiſsimorum virorum, excitari cernimus.

mus. Et è contra, inuidia sordibus, morositateq; eorum, qui rerum potiuntur, vbique restingui & languescere. Soli igitur, qui digna literis gerunt, etsi institutione rudes sunt, literas libenter fouent, vt in fundatore Almæ huius Academiæ Crac. gloriosissimo Rege, exemplum luculentissimum habemus. Vtinam nostra hæc ætas quoque, quæ singulariter in omnibus elegantiæ cultum expetit, etiam bonarum literarum frugem, in aspectum ac lucem totius Orbis proferre studeat; Hoc voueo, Hoc opto.

DIXI.

et

Et e contra inuidia sordibus morositateq; eorum
Qui rerum potiuntur ubiq; restingui et languescere Soli igitur
qui digna literis gerunt etsi institutione rudes sunt literas
libenter fouent ut in fundatore alme huius academie crac
gloriosissimo Rege exemplum luculentissimum habemus
vtinam nostra hec etas quoque que singulariter in omnibus elegantie cul